

ARTICULUS SECUNDUS.

DE EXERCITIO AUCTORITATIS LEGISLATIVÆ.

67. — In quo differat objectum auctoritatis legislativæ ecclesiasticæ ab objecto auctoritatis legislativæ civilis? — 68. — Observaciones: I^o De relationibus utriusque Potestatis ordinariis. — 69. — II^o De unione utriusque Potestatis in quibusdam locis. — **70. — III^o Utrum aliquando uni Potestatis superioritas in alteram *extraordinarie* competat?

67. — In quo differat objectum auctoritatis legislativæ ecclesiasticæ ab objecto auctoritatis legislativæ civilis. — In quo consistat auctoritas legislativa apud Ecclesiam divinitus instituta, jam supra exposuimus (n. 26, p. 69 et ss.), et de variis speciebus objectorum ejus disseritur apud Theologos in *Tr. de Legibus* (1). Hic autem illa objecta in genere tantum consideranda veniunt, eo præsertim fine ut ab objectis auctoritatis legislativæ civilis distinguantur. Illud igitur pro principio ponimus, — quod ex ipsâ notione institutionis Ecclesiæ evidenter fluit, — auctoritatem scilicet ipsius legislativam pro objecto proprio atque directo habere omnium hominum sibi subditorum actiones quatenus referuntur ad finem Ecclesiæ *proprium* atque *directum*, id est, ad bonum omnium *spirituale*: — quemadmodum auctoritas civilis in omni societate pro objecto proprio atque directo habet omnium etiam hominum sibi subditorum actiones quatenus refe-

(1) Insuper et in *Tr. de Pœnitentiâ* probatur auctoritatem illam pro complemento habere tum potestatem dimittendi interiùs peccata, justificando nempe per *Sacerdotes* quos ad hoc *mittit* (V. supra, p. 15 et 185) peccatorem qui per se nondum ad justificationem pertingeret; — tum etiam potestatem dimittendi pœnam temporalem coram Deo pro peccatis dimissis debitam, illam scilicet relaxando per *Indulgentias*. — Ea enim omnia è Scripturâ et Traditione ostenduntur tanquam complementa auctoritatis legislativæ in Ecclesiâ positæ, cujus, utpote divinæ, ea est vis ut non modò, sicut alia quævis auctoritas, obligationem pariat vel abroget, sed etiam ut obligationis cujusvis violatæ culpam et reatum in animis delere queat (V. Suarez, l. cit. p. 220.)

runtur ad finem societatis civilis *proprium* atque *directum*, id est, ab bonum omnium *temporale*. Utrique etiam illis actionibus naturaliter adjunguntur omnia ad ipsas exsequendas necessaria, et cum illis veniunt hinc sub nomine *rerum temporalium*, illinc *spiritualium*.

Igitur non, cum quibusdam magistratibus civilibus, ex iis qui addicuntur *Gallicanismo parlamentario* (V. supra, p. 83), sub nomine *rerum spiritualium*, quæ sunt proprium ecclesiasticæ auctoritatis objectum, intelligi possunt tantum res merè *internæ*. Inde enim jam tota auctoritatis ecclesiasticæ actio ab arbitrio magistratûs civilis legitime penderet, utpote necessariò *externa*. — Et certè non Apostoli talem utriusque potestatis determinationem audierunt à Christo, qui, è contrâ, ipsos misit ministerium suum *externum* exercere non modò independenter à Principum voluntate sed et expressè contra Principum voluntatem (Math., X, 18; Marc., XIII, 9; Luc., XXI, 12; etc.) (1) — Summatim igitur, in præsentî quæstione, res non tam ex naturâ quàm ex fine distinguere oportet: unde *res spirituales* eæ erunt quæ *directè et proximè tendunt ad bonum spirituale hominum* (2), sicuti res tempora-

(1) Hinc V. damnatam ac reprobam à SS. Conc. Vatic. (Constit. *De Eccl.*, c. III: «... Porro ex supremâ... ») necessitatem *placiti*, ut aiunt, Potestatis secularis; — in quod jam videre erat Encyclicam: *Quantà curâ*... 8 dec. 1864, cum *Syllabo* ei adjuncto, prop. 20, 28, etc.

(2) Hinc patet inter res spirituales quarum potestatem habet Ecclesia, indubiè annumerandas esse *pœnas*, etiam *externas*, quatenus ad bonum spirituale tum delinquentium, tum cæterorum etiam societatis ecclesiasticæ membrorum directè et proximè tendunt; ideoque ad Ecclesiam certè pertinere aliquam auctoritatem, ut aiunt, *coercitivam*, tanquam essentialem auctoritatis ipsius disciplinariæ partem. (V. Encyclicam *Quantà curâ*, in qua ii reprobantur qui affirmare non timent « Ecclesiæ jus non competere » violatores legum suarum pœnis temporalibus coercendi; » et cfr in *Syllabo* prop. 24; itemque jam antè V. Bullam *Auctorem fidei*, prop. IV et V). — De extensione verò illius auctoritatis coercitivæ, hæc nobis statuenda esse videntur, nempe: 1^o Ecclesia potest certè violatoribus legum

les directè et proximè ad bonum temporale. Cæterum alterutra in invicem remotè vel indirectè influunt; imò et dantur materiæ plùs minùsve æqualiter mixtæ (1). — Unde.

68. — Observationes : I^o De relationibus utriusque Potestatis ordinariis. — Ex eo quòd *ambæ*, ut aiunt, *Potestates*, ecclesiastica nempe et civilis, sint ab invicem distinctæ, non ideo necessariò erunt absque mutuis relationibus. Quin et certè multò satius videtur ut non indiffe-

suarum præcipere ut tales vel tales ultrò subeant pœnas, putà, juxta morem temporum, pœnitentiam publicam, mulctam eleemosynariam, flagellationem, reclusionem; vel excommunicatos se habeant. — Imò 2^o potest velle ut pœnæ reis *etiam invitis* per vim infligantur, et ad hoc requirere opem *brachii*, ut aiunt, *secularis*. Quousque autem et quibusnam modis Principem auxilium requisitum renuentem cogere vel plectere possit, hoc pendet ex his quæ modò dicentur circa relationes et conflictus inter utramque Potestatem. — 3^o Utrùm verò *proprio jure* Ecclesia possit pœnas hujusmodi infligere vel infligi jubere, saltem ultra quemdam modum, an tantùm è concessione Principis civilis, non concordant auctores (V. Suarez: *De fide*, D. XX, S. III, n. 19 et 41; cfr. *Prælect. Juris can.* S. Sulpitii, t. III, n. 754). Sed quæstio hæc nobis videtur aliam præsupponere: utrùm, videlicet, jus tales pœnas infligendi apud aliquam societatem existere non possit nisi è speciali investiturâ Dei, an è jure existendi ac suæ existentie cavendi simpliciter fluat? (Cfr. notanda in *Appendice III^a*, III). Quippe, si prius, examinandum quidem erit an talem investituram Deus Ecclesie dederit, vel non: — si autem posterius, Ecclesia profecto, quum jus existendi habeat, etiam habebit jus cavendi sibi per media quæ ad hoc necessaria inveniuntur, proindeque, ubi opus erit, per pœnas; et *de convenientiâ* tantùm erit ut, quantum fieri possit, modum quemdam in his servet; atque, ubi modum illum excedi necesse est, jus suum per alienum brachium exerceri faciat.

(1) « Les mêmes hommes ne peuvent appartenir aux deux sociétés, sans » que le spirituel et le temporel, en se combinant, produisent des matières mixtes... On peut donner comme un exemple de ces matières qui » présentent un double aspect, le mariage, les sépultures, l'instruction » publique, les dons faits pour des œuvres pies, les biens affectés au » culte, l'exemption du service militaire et l'interdiction du mariage pour » les membres du clergé, la sanctification du dimanche et des fêtes, etc. » *Etudes des R. P. Jésuites*, juillet 1872, p. 50.

renter nec omninò separatim sese invicem gerant sed concorditer in unum conspirent. — Etenim — 1^o unum eundemque finem ultimum habent, qui est bonum generale hominum, atque, etsi una proximè in bono spirituali occupetur, altera in bono temporali, non huic tamen licet ut indifferentem se habeat erga bonum spirituale, nec illi erga bonum temporale: non licet Principi ut desinat esse christianus etiam quatenùs Princeps, nec Pastori ut desinat esse civis etiam quatenùs Pastor (1). — Imò et 2^o Potestas quæque in suum etiam proprium atque immediatum finem multùm certè proficere poterit ex hâc concordia ac conspiratione mutuâ, vix enim fieri potest ut non proficiat Ecclesia è prosperitate reipublicæ aut respública è veræ Religionis incremento. (2) — Non igitur plena, ut aiunt, *Ecclesie et Statûs separatio* haberi potest *per se* ut rerum ordinatio quàm perfectissima et utriusque prosperitati convenientissima (3). Hoc unum

(1) Multùm invehitur recens theologus, D. Martinet (*Instit. theol. mor., De leg.*) in Suarezium, quia hicce nempe bonum spirituale non pro fine Potestatis civilis, ne mediato quidem et ultimo, videtur habere (*De legibus*, l. III, c. XI). Qui certè, si ita illic reapse dicere intendit, in hoc deserendus est; nam profectò « ad vitam quam in celo speramus beatam, » ordinatur sicut ad finem vita quâ hic homines benè vivunt; » et « oportet eundem finem esse multitudinis humanæ qui est hominis unius.... » (S. Thom. *Opusc. de regimine principum*, l. I, c. XV, XIV). Verùm et ipse Suarez, ut ex ipso contextu innuitur, illic corrigendus est per hoc quod alibi explicat: « Quia verò felicitas temporalis et civilis ad spiritua- » lem et æternam referenda est, ideo fieri potest ut materia ipsa Potestatis » civilis aliter dirigenda et gubernanda sit, in ordine ad spirituale bonum, » quàm sola civilis ratio postulare videtur... » (*Defensio fidei catholicæ*, l. III, c. v, 2).

(2) « Cùm regnum et sacerdotium inter se conveniunt, benè regitur » mundus, floret et fructificat Ecclesia. Cùm verò inter se discordant, non » tantùm parvæ res non crescunt, sed etiam magnæ res miserabiliter dilabuntur. » Ivo Carnotensis: *Epist.* 238, *ad Paschalem Papam*; ap. Migne *Patr. lat.*, t. CLXII, p. 246.

(3) Hoc pluriès hisce temporibus memorandum habuerunt SS. Pontifices

fatendum est, utriusque scilicet Potestatis fœdus, etsi rerum naturæ omninò conforme ac generatim exoptabile, non tamen absque difficultatibus ac litigiosis quæstionibus esse, quibus, quantum fieri potest, occurritur passim per *concordata* inter utramque potestatem inita (1); neque etiam fœdus illud ubique idem esse posse aut eadem semper inducere consecraria, v. g., quoad partem Religionis in Statu aut falsarum religionum exclusionem (2).

contra quosdam sive adversarios sive amicos nimium temerarios. Ita Gregorius XVI, in Encyclicâ: *Mirari vos*, 15 Aug. 1832, adversus diarium scholæ mensesianæ: *L'Avenir*, hæc habet: « Neque lætiora et Religioni et Principatui omninari possumus ex eorum votis qui Ecclesiam à Regno separari, mutuamque Imperii cum Sacerdotio concordiam abrumpi discipiunt. Constat quippe pertimesci ab impudentissimæ libertatis amatoribus concordiam illam, quæ proinde rei et sacræ et civili fausta existit ac salutaris. » — Cui consonat Pius IX in Encycl. *Quantà curâ*, 8 dec. 1864, et in *Syllabo* errorum huic adjuncto, in quo notatim reprobatur hæc prop. 55^a: « Ecclesia à Statu, Statusque ab Ecclesiâ sejungendus est. » — Atque his cfr quæ paucis abhinc annis scribebant viri in politicis Angliæ rebus gravissimi, DD. d'Israeli et Gladstone, in *Appendice* proximè indic. citandi.

(1) Observandum est inter ea quæ in *concordatis* reciprocè concedi videntur, alia esse reapse *privilegia* quæ uni parti non nisi ex concessione alterius attribui possunt, ideoque licitè per concessorem retrahi poterunt si concessionarius suas ipse concessiones quæcumque de causâ retraxerit; alia autem esse *jura* illius cui attribuuntur, jam per se propria et impræscriptibilia: quæ proinde, licèt sæpe sub formâ synallagmaticâ poni videantur, non ideo tamen illi auferri poterunt, etiamsi quando, ob majores v. g. boni publici necessitates, privilegia à se alteri parti concessa retrahenda censeret. Non tam formæ contractûs quàm materiæ in his attendendum est. — Hinc, ut putamus, solvere forsân erit controversias circa naturam et vim Concordatorum nuperrimè emotas, de quibus V. *Etudes des Jés.*, nov. 1872, vel *Revue des Sc. ecclês.*, 1872, etc.

(2) De majori minorive parte quam obtinere potest Religio in Statu civili et de tolerantia vel intolerantia erga falsas religiones, dicemus in *APPENDICE XII*^a. — Unum autem hoc impræsentiarum observamus, scilicet, ut aiebat rectè Portalis (*Disc. au corps législatif, sur le Concordat*, 1801, versùs finem): « Quand une religion est admise, on admet, par raison de conséquence, les principes et les règles d'après lesquels elle se gouverne. » — Unde, v. g., Religio catholica, quocumque modo

69. — II^o De utriusque Potestatis unione in quibusdam locis. — Christus certè minimè jussit ut ambæ Potestates iisdem committerentur manibus; neque id, ut videtur, passim et ordinariè fieri communi expediret bono (Cfr quædam ex observatis suprâ, p. 91), neque reverà unquam apud Christianos passim et ordinariè factum est (1). — Attamen 1^o Christus non vetuit id aliquando fieri; et proinde sine peccato potuerunt, v. g., quidam olim episcopi dominium alicujus urbis aut provinciæ suscipere, quidquid in hoc debacchati sint Wicleffistæ, Hussitæ etc. — Imò 2^o sapientissimè institutum est, ad assecurandam Potestatis spiritualis in suo saltem Centro et Capite independentiam, *Romanum Pontificem nulli principi esse subiectum, imò nullius hospitem, sed in proprio dominio ac regno sedentem suimet juris esse*, ut, facto sicut et jure, planè independentens maneat, et nulli suspectus (2).

vel titulo apud Statum aliquem admittatur, illic certè admitti non potest nisi cum suis principiis ac consequentiis sive jam evolutis sive ritè ac legitimè juxta regulas suas constitutivas evolendis; siquidem, uti nuper aiebant Episcopi germanici, « l'Eglise est un organisme vivant, animé par le Saint-Esprit, qui, en conservant l'unité, se développe jusqu'à la perfection, selon la mesure parfaite de Jésus-Christ. Le Pape et l'Episcopat uni au Pape sont les soutiens visibles de cet organisme humano-divin; etc... » (*Déclaration des Evêques d'Allemagne*; mai 1871).

(1) « Fuerint hæc ante adventum Christi ut quidam... pariter reges existerent et pariter sacerdotes... Sed cum ad verum ventum est eundem Regem atque Pontificem, ultrâ sibi nec imperator pontificis nomen imposuit, nec pontifex regale fastigium vindicavit. Quamvis enim membra Ipsius, id est, veri Regis atque Pontificis.... dicantur, ut simul regale genus et sacerdotale subsistant; attamen Christus memor fragilitatis humanæ, quod suorum salutem congrueret, dispensatione magnificè temperans, sic actionibus propriis dignitatibusque distinctis officia Potestatis utriusque discrevit, suos volens medicinali humilitate salvari, non humanâ superbiâ rursûs intercipi; ut et christiani imperatores pro aeternâ vitâ pontificibus indigerent, et pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus uterentur... » S. Gelasius Papa: *De anathematis vinculo*, versùs finem (Ap. Migne, *Patrol. Lat.*, t. LIX, p. 108.)

(2) Ita in suâ ad SS. Pium IX Gratulatione, Episcopi ex omnibus orbis

70. — III^o Utrum aliquando uni Potestati superioritas in alteram extraordinariè competat? — Huc usque diximus de iis quæ ordinariè fieri debeant : nunc autem de iis quæ *extraordinariè*. Magna nempe quæstio est utrum ambæ Potestates semper et in omni casu debeant esse ab invicem independentes, an una alteri prævalere debeat, — sive etiam in proprio hujusce foro, — sive saltem in materiis plùs minùsve mixtis, ubi supervenient conflictus.

Expositio opinionum : — Hic igitur duo primùm observantur systemata, systema videlicet *independentiæ reciproæ*, et systema *suprematiæ* sive *civilis* (quæ ex dictis, minimè admitti potest) sive *ecclesiasticæ*, quæ variis dein intelligi potest modis.

Primum systema, quod in ultimis hisce sæculis magis præsertim vulgatum est, plenam ac perpetuam affirmat *independentiam utriusque Potestatis* in suo cujusque foro. Unde — 1^o nunquam licebit Potestati ecclesiasticæ intervenire in materiis merè temporalibus, neque Potestati civili in materiis merè spiritualibus; vel, si una intervenerit absque alterius consensu, non erit ei obediendum : — 2^o in materiis verò mixtis, si ambæ Potestates contraria præcipiant ita ut utrique simul obediri non possit, illi potiùs obediendum erit quæ magis in foro suo versabitur, id est, Potestati quidem ecclesiasticæ si res de quâ agitur, magis proximè et directè ad bonum spirituale spectat; Potestati autem civili, si magis ad bonum temporale : si autem æqualiter ad utrumque spectare videatur, jam casus erit perplexus, et subditis liberum erit alterutram pro libitu sequi.

Illam verò constitutionem *bicipitem* multi ex adverso impugnant, utpote quæ non perfectam societatis humanæ ordinationem producere potest, imò et, in casu conflictùs, societatem istam omninò sol-

partibus Romæ adstantes, 9 jun. 1862; atque in hoc quique, ut ipsi aiunt, « Ecclesiæ rebus, utpote pastores, et Patriæ, utpote cives, benè et æquè consulentis neque pastorum neque civium officia posthabentes. » (Inter *Acta pontificalia* relativa ad *Syllabum*, ed. Poussiègne, p. 714, 716, vel apud *Analecta juris pontif.*, a. 1863, p. 1483.) Cfr ad hæc, — non modò Bosuet in *Defens. declarat.*, l. I, sect. 1; c. xvi, quem V. ad Napoleonem I à D^o Emery citatum (*Vie de M. Emery*, t. II, p. 308), — sed et viros politicos maximi nominis, quorum in hoc confessiones vel probationes infra dabimus in *Appendice XIII*^a.

vere nata est (1); ideoque necesse dicunt 'Ετι Κοινωνος ἔστω (2): Potestas, scilicet, una alteri præstet et ad subditorum obeditionem jus semper potiùs habeat. — Quenam autem erit illa Potestas, et quandonam ita supra alteram prævalere debebit, non itidem consentiunt. Alii enim *suprematiam* hanc Potestati civili deferunt, ita ut ipsa, quotiès expedire judicaverit, decretoriè intervenire possit, sive in materiis etiam merè spiritualibus (quod recidit in Cæsarismum, de quo supra, p. 81), sive saltem in materiis tantisper mixtis, ubi, aliquà ex parte, Statùs civilis interesse possunt; et ita multi hodièdum jurisconsulti ac politici viri (3). — Alii, è contrà, Potestati eccle-

(1) Cfr Suarez : *De leg.*, c. ix, 3; ap. Migne, *Theol.*, t. XII, p. 805.

(2) Homer. : *Iliad.*, II, 204, ap. J. de Maistre in epigraphio libri sui : *Du Pape*; — itemque ex alià parte : « Il ne peut jamais y avoir égalité » entre deux Pouvoirs s'exerçant, en face l'un de l'autre sur les mêmes » sujets. » M. Suin : *Rapport au conseil d'Etat : Moniteur*, 20 août, 1863. Cfr et Portalis : *Exposition des Maximes et des Règles consacrées par les art. organiques.....* (ap. *Journal des fabriques*, t. XIII, 1846, p. 52.) — Item et D. Dupin : « On ne peut admettre deux puissances absolument égales, dont le concours produirait une sorte de *mani-chéisme* politique, et n'aboutirait qu'à des luttes périlleuses ou à une » négation sans issue » (*Rapport sur les travaux inédits de Portalis*, cit. ap. *Revue cath. de Louvain*, 1871, p. 143). Non aliter planè loquitur Bulla *Unam, sanctam...!*

(3) Ita, v. g., Portalis : *Rapport sur les articles organiques*, 1801 (ferè reprod. l. cit.) : « La puissance publique... n'est rien, si elle n'est » tout... Lorsqu'on attribue exclusivement à la puissance publique la dis- » position des choses temporelles, en réservant aux pasteurs les matières » spirituelles, on n'entend pas sans doute laisser comme vacant entre ces » limites le vaste territoire des matières qui ont à la fois des rapports avec » la religion et avec la police de l'Etat, et qui sont appelées *mixtes* par » les jurisconsultes... — Il faut nécessairement qu'il y ait une puissance » supérieure qui ait droit, dans cette espèce de territoire, de lever tous » les doutes et de franchir toutes les difficultés; cette puissance est celle » à qui il est donné de peser tous les intérêts, celle de qui dépend l'ordre » public en général, et à qui seule il appartient de prendre le nom de » *puissance* dans le sens propre. » — Cfr *Revue de Législation*, avril, 1845; art. : *De l'Eglise cathol. et de l'Etat*, par M. Ed. Laboulaye : «... Dès qu'il y a un intérêt social engagé, inquit ille, la Puissance pu- » blique est seule maîtresse et seul juge du parti à prendre.... » (p. 453)

siasticæ attribuunt *suprematiam*, — sive in materiis etiam quæ, tum ratione sui tum ratione effectuum, merè temporales forent; et hæc est, ut aiunt, *potestas directa* Ecclesiæ in temporalia; — sive saltem in materiis quæ, per se vel per suos effectus, boni spiritualis hominum referunt; et hæc est ejusdem *potestas indirecta* (1).

Opinionum discussio. — Ad illas porrò controversias, quantum in nobis erit, solvendas, magni refert priùs distinxisse duplicem modum quo aliqua Potestas in quibuscumque materiis intervenire potest *declarando*, scilicet, non faciendo legem; vel legem ipsam *faciendo*

— Omnes istas doctrinas. congesserat D. Dupin in suo *Manuali*, de quo suprâ, p. 183.

Itidem ac recentius D. Falck (*Disc. aux Chambres prussiennes*, 17 janv. 1873, cit. ab Emin. Manning : *Le Césarisme*, p. 45) : « Si l'Etat et l'Eglise sont égaux dans les domaines du pouvoir moral, l'Etat doit tous jours avoir la suprématie dans le domaine de la loi. » — Cui consonantes quidam nomine non re Catholici (*Adresse de plusieurs cathol. de Silésie à l'empereur d'Allemagne*) : « Nous estimons que les domaines de l'Etat » et de l'Eglise sont donnés par leur nature même; mais nous devons réclamer et réclamerons toujours en faveur de l'Etat le droit de fixer, en » pleine indépendance, les limites de ces domaines... »

(1) Bellarmin. *Controv. gen.*, t. I : *De S. Pontifice*, l. V; et *De potestate S. Pontificis in temporalibus*, adv. Gugl. Barclaium, (inter *Opuscula* Bellarmini, in-fol.). — Item et Suarez : *De Legibus*, l. IV, c. ix; ap. Migne, *Theol.*, t. XII, p. 804; et cfr l. III, c. vii, n. 12, ibid. p. 479; ac præsertim : *Defensio fidei catholicæ adversus anglicanæ sectæ errores*, l. III, c. xxi et seqq.; l. VI, c. iv et passim.

Scio equidem non omnes eodem modò illam adeò jactatam distinctionem exponere, nec consequenter in assignandis cuique opinioni suis patronis omninò concordare (uti rectè observat D. Moulart, ap. *Revue cathol. de Louvain*, 1871, p. 130.) Alii enim Potestatem *directam* ultra modum exaggerant et vix intelligibilem ac minimè certè admissibilem faciunt (V. ibid. p. 135); meritò autem dubitari potest an quis unquam eam ita sustinere intenderit. Alii Potestatem *indirectam* nimis restringunt, et merè *declarativam* faciunt (uti v. g., Bianchi : *Tr. de la Puiss. eccl.*). — Nos verò accuratiùs, ut putamus, et magis ad sensum communem explicare intendimus duas illas potestatis species, quæ cæterùm vix ab invicem separari posse magis ac magis ex dicendis patebit : unde ad veram quæstionis solutionem alia prorsùs distinctio quærenda est, uti vox videbitur.

per determinationem positivam juri naturali aut divino superadditam (Cfr dicta suprâ, n. 26, p. 70). Priori modo auctoritatem exercet quam theologi non pauci *directivam* dixere (1), nos autem clariùs forsitan dicere malumus *declarativam*. Quæ autem posteriori modo exercetur auctoritatem nuncupamus *determinativam* seu *decisivam arbitrariè in incertis*. His porro positis, statuimus sequentia scilicet :

1° Omnis homo et, à fortiori, omnis Potestas naturale quoddam jus habet, ubi id expedire videbitur nec à Superiore legitime vetitum fuerit, *declarandi* quid à lege naturali vel divinâ in tali vel tali casu præscriptum evidentè censeat. Ergo tale jus eminentè ac præ cæteris habet Potestas ecclesiastica, quæ 1°, *ex officio*, ad veritatem justitiamque omnibus absque distinctione declarandam et ejus executionem pro posse suo procurandam, à Deo ipso constituta est expressè et nullo adjecto extra se Superiore; et 2°, etsi non infallibilitatem sibi vindicet in dijudicando de casibus hujusmodi particularibus (2) in his tamen morali quâdam auctoritate gaudere debet quâ nullâ certè alia major. — Neque etiam videtur cur ab isto suo jure et officio interdiceretur, ubi de materiis agitur etiam merè temporalibus; in his enim, non secus ac in aliis, lex naturalis et divina violari potest (3). Ideoque à christianis quotquot et recti sensûs viris opinio

(1) V. v. g., Gerson infrâ cit.

(2) V. suprâ, p. 231, et cfr p. 172 not. — Atque inde patet nihil pro hujusmodi casibus consequi posse è recentè definitione infallibilitatis pontificiæ. V. *Etudes des Jésuites*, art. ibid. indic.; et cfr cæteroquin SS. ipsum Pium IX : *Disc. à l'Acad. de la Rel. cathol.*, juill. 1871; cit. ap. R. P. Bottalla, t. II, p. 289.

(3) Unum sanè dolemus, scil., quòd Ecclesiæ Pontifices jam non possint, pro circumstantiis, in omnia quæ per orbem mala et injusta fiunt, etiam quando non res Ecclesiæ propria sed populorum principumve agitur, vocem tollere et juris ita declarati adimpletionem censuris, si expediat, et omnibus quibus poterunt, modis urgere, sicut olim faciebant. (V., speciminis causâ, inter multa alia, *Epist. S. Greg. VII, ad episcopos Galliæ in Philippum regem I*; ap. Voigt : *Hist. de Grég. VII*, ch. vi, vel ap. Rohrbacher : *Hist. de l'Egl.*, l. LXV). — Et tamen omnes ferè quæ adversùs Ecclesiæ immistionem in temporalibus circumferuntur querelæ, in ipsam ejus potestatem *declarativam* invehuntur. Multos, v. g., videre est indignantes cum D. J. Favre (*Séance du Corps législatif*, 1^{er} mai 1866) eo quòd quis dixerit : « que tous les catholiques sont soumis au Pape non » seulement en ce qui concerne la foi, mais aussi en ce qui concerne la

suprà exposita de independentiâ utriusque Potestatis nonnisi cum hoc saltem temperamento unquam admitti potuit (1).

Verùm, hoc admissio, II^o quid in casibus dubiis ubi lex naturalis vel divina nihil clarè præscribit, et tamen homines unâ determinatione indigent ut conjunctim agere pergant? (Cfr dicta supra n. 29 p. 76.) Numquid jam, neutrâ prævalente Auctoritate, societas dissolvenda erit?... Aut, ne id accidat, una habenda erit potior Auctoritas

» morale et la justice....; » quasi Christianismus nihil cum ethicâ haberet! Cfr philosophum quemdam cit. ap. Feller circa Bullam *In cæna Domini*: *Dictionn. hist.*, art. *Boniface VIII et Pie V*; vel ap. Bérauld Bercastel: *Hist. de l'Egl.*, éd. Henrion, t. V, p. 443.

(1) Hinc Gerson aliunde Gallicanis admodum carus: « Omnes homines, » Principes et alii, subjectionem habent ad Papam in quantum eorum jurisdictionibus, temporalitate et dominio abuti vellent contra legem divinam et naturalem, et potest superioritas illa nominari potestas directiva » et ordinativa potius quam civilis vel juridica. » (*Sermo coram rege Franciæ, pro pace et unione Græcorum*, consideratio 5^a; opp. t. II, p. 147; cfr ibid. p. 246). Item et alii etiam inter Gallicanos priores, cit. ap. Bianchi: *Tr. de la Puiss. eccl.*, l. I, § § x et ss.

Hoc tamen ipsum non pauci postea negavere, è falsâ opinione juris divini personalis et inamissibilis apud Principes (V. nostram *Append. III*). Ita speciatim in Angliâ defensores juramenti *allevantiz* à rege Jacobo I impositi catholicis (de quo V. Bianchi, t. II, p. 762-776; cfr et Suarez: *Defensio fidei cathol.*, l. VI; etc.). Item et in Galliâ, Gallicani primum parlamentarii, tum in condemnatione hujusce libri Suarezii (1614) et alius paulò provectoris P. Santarelli (1626), in quâ dicitur: « ... Que le Pape n'a aucune puissance sur les rois, ni coercitive, ni directive » (cit. ap. Bouix: *De Papâ*, t. III, p. 72); — tum præsertim in famosâ propositione Tertii-Statûs ad Comitia generalia a. 1614, cui tunc, totius Cleri nomine, fortiter obstitit card. Du Perron: *Harangue au Tiers-Etat*, inter *Œuvres diverses*, 1629; aut, magnâ ex parte, ap. D. Féret: *Le card. Du Perron*, 1877, p. 110 et ss.; vel etiam brevius ap. Rohrbacher, l. LXXXVII, § IV). — Postea autem, grassante Gallicanismo, et ipsi Ecclesiastici submisere caput, tum in declaratione Sorbonicâ, a. 1663: « ... Quod subditi » fidem et obedientiam regi Christianissimo ita debent ut ab iis *nullo præ-* » *textu* dispensari possint... » (V. ap. D. Gérin: *Recherches...* p. 19); — tum in celebri declarat. Cleri gallic. a. 1682, cujus certè artic. 1^{us} vix alium admittere posset sensum. — Hodie autem, quod olim è nimio in regiam majestatem studio defendebatur, è secreto quodam rationalismi vel saltem *minimismi* sensu (suprà p. 228) adhuc defenditur.

cujus ad arbitrium omnes in dubio generatim stare teneantur?... (1) Et ita quidem multi ut modò dictum est, jurisconsulti ac politici affirmant; simul verò Auctoritatem illam potiore non aliam esse vo-

(1) Imò, si Potestas illa quæ officium habet *declarandi* juris naturalis in rebus certis, non habeat insuper potestatem illud supplendi *determinando* arbitrariè in rebus dubiis, ipsæ illius declarationes non jam rarò tantum sed ferè semper recusari poterunt; ideoque aliqua etiam hujusmodi potestas iudicibus per legem attribui solet. Atque hinc, ut puto, quidam loquendi modus apud iudices in genere satis frequens, speciatim verò apud Pontifices Medii Ævi in suis contrà reges prævaricatores sentiis; ubi nempe duplici sæpe modo pronuntiare videntur, primum quidem quasi simpliciter declarando, deinde autem quasi positivè disponendo ad omne dubium tollendum vel defectum supplendum. — Sic, v. g., Innocentius IV, cum Conc. gen. Lugdun. I, contra Fridericum Imp. II: « Nos itaque... me » moratum Principem qui sese Imperio et regnis, omnique honore ac dignitate reddidit tam indignum, quique propter suas impietates à Deo, ne » regnet vel imperet, est abjectus,... suis ligatum peccatis et abjectum omnique honore et dignitate privatum à Domino *ostendimus, denuntiamus,* » — ac nihilominus *sententiando privamus*, omnes qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti, à juramento hujusmodi perpetuò absolventes... » (Ap. Labbe, t. XI, p. 1^a, p. 645). — Item Joannes XXII contra Ludovicum Bavar.: « ... Memoratum Ludovicum omni jure... à Domino privatum *denuntiamus et ostendimus*; nosque ipsum jure præfato, sentiendo, » *privatum declaravimus et privavimus.* » (Ap. Martene: *Thesaurus anecd.* T. II, p. 677). — Similiter ferè et Paulus III in Bullâ *Ejus qui immobilis...*, contra Henricum VIII, Angliæ regem (*Bullar rom.* T. IV, p. 1^a, p. 127; § § 7, 8, 9, 10); — et præsertim S. Pius V in Bullâ *Regnans in excelsis*, contra reginam Elisabeth, « ... Illius itaque auctoritate suffulti qui nos in hoc supremæ justitiæ throno, licèt tanto oneri » impares, voluit collocare,... *declaramus* prædictam Elisabeth... præ » tenso regni prædicti jure *privatam*, et item proceres, subditos ac » populos... à juramento... ac omni obsequii debito perpetuò *absolutos*; » — prout nos illos, præsentium auctoritate, *absolvimus, et privamus* » eamdem Elisabeth prætenso jure regni aliisque omnibus supradictis » (ibid. T. IV, p. 11^a, p. 1570; vel ap. D. de Falloux: *Hist. de S. Pie V.*, t. I in fine). — Item demùm et expressiùs Sixtus V in Bullâ *Ab immensa*, contra Henricum Navarrensem et Henricum Condæum: « ... Itaque *pronuntiamus et declaramus* Henricum quondam (Navarræ) regem et Henricum Condensem fuisse et esse hæreticos... et orthodoxæ fidei christianæ » hostes, adeò ut nullâ possint se tergiversatione aut excusatione defendere, » ac proinde eosdem fuisse et esse, ipso jure, *privatos... et incapaces ac*

lunt quàm Auctoritatem civilem : — quod profectò solo niti videtur *jure fortioris* (1), — nec ullo modo conciliari potest cum illà essentiali et impræscriptibili independentiâ quam Potestati ecclesiasticæ Scriptura et Tradiitio tota vindicat, ut suprâ demonstratum est (nn. 34, 68). Si enim ubi quid apparet dubium, unius Potestatis solius est decidere, jam altera nequit dici planè independens. Ideoque quisquis libertatis ecclesiasticæ verè studiosus, Potestatem civilem ita in dubiis prævalere nunquam admisit (2), sed illam dixit aut Potestatis ecclesiasticæ arbitrio tunc subdi, aut, ad summum, independentem manere (suprà, p. 254), nunquam autem dominam.

» *inhables* ad succedendum in quibuscumque... dominiis et regnis, ac
 » specialiter in regno Franciæ in quo tot atrocità et nefandà crimina patraverunt... ; — prout etiam, *ex abundantia et in quantum opus est*, nos
 » illos illorumque posteros *privamus* in perpetuum ac etiam in perpetuum
 » *inhabilitamus...*, *supplentes omnes juris et facti defectus*, si qui forsitan
 » san intervenerint... » (Ap. Fr. Hotmann: *Brutum fulmen Papæ Sixti V*, vel inde ap. Goldast: *Monarchia S. Imperii Rom.*, t. III, p. 125, 126).

(1) Cfr Portalis etc. suprâ cit. — Illi etiam quandoque jactitant, quasi causæ suæ patrocinaturum, illud S. Optati : « Non Respublica est in Ecclesiâ, sed Ecclesia in Republicâ est... ; » quod quidem à sancto Auctore dictum est de Imperio Romano, ut ipse subjungit (*De Schismate Donatist.*, l. III, c. III), sed alio prorsùs sensu. V. Lefranc de Pompignan, Episc. Podiens. : *Déf. des actes du clergé de Fr. en 1765*, 2^e p., c. XIII ; Opp. t. I, ed. Migne, p. 1243 ; vel Zaccaria : *Antifebronius vindic.*, ap. Migne, *Theol.*, T. XXVII, p. 562. — Et aliunde S. Ambrosius dixit à pari : « Imperator intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. » *Epist.* 21, *sermo contra Auxentium*, n. 36).

(2) Hinc damnata, apud nos Catholicos, illa Prop. XLII^a in *Syllabo*, a. 1864 : « In conflictu legum utriusque Potestatis, jus civile prævalet. » — Hinc et ipse scriptor protestans, Alex. Vinet : « Il faut convenir que l'Eglise catholique ne s'est jamais laissé absorber par l'Etat. Il faut lui rendre cette justice : elle n'a jamais connu la servitude, et n'a jamais donné toute son indépendance pour prix des faveurs qu'on lui offrait... Elle a ses lois, elle a ses règles, elle a son esprit, elle s'appartient, elle s'écoute, elle se respecte. Protégée par sa doctrine, qui fait découler à tout jamais toute vérité du Siège Apostolique, elle reste dans son domaine et relègue l'Etat dans le sien. Elle ne dédaigne pas de commander ; mais elle dédaigne encore plus d'obéir : et c'est sa gloire, gloire pure et digne d'envie. » (*Essai sur la manifestation des convictions relig.*, cit. ap. *Revue de Louvain*, 1871, p. 630, vel 1872, p. 6.)

Et certè, si necessarium judicetur in casibus dubiis unam Potestatem alteri prævalere, hæc superioritas, ex ipsâ naturâ rerum, Potestati ecclesiasticæ tunc attribuenda erit, utpote quæ res majoris momenti et ultimo utriusque simul Potestatis fini propiores ordinariè tractat, proindeque multò minùs illas negligere atque ultimum inde omnis humanæ societatis finem posthabere periclitatur (1). Itaque plurimi theologi, post Bellarminum et Suarezium suprâ cit., cunctos generatim conflictus tum rerum temporalium cum spiritualibus, tum etiam rerum temporalium inter se, ubi spiritualis hominum utilitas interest, censent, perplexis in casibus, ex arbitrio Potestatis ecclesiasticæ esse terminandos. — Imò istam hujus Potestatis *indirectam* superioritatem inferre conantur è generalitate verborum Christi ad Petrum et ad Apostolos : « *Quodcumque ligaveris...* ; *Quæcumque alligaveritis...* etc. », ut pote quæ nihil ex iis quæ ad finem hominum spiritualem referunt, excludunt.

Quinimò non defuere qui, ex eadem verborum Christi generalitate, hunc arbitratum decisivum Potestati ecclesiasticæ vindicarunt etiam in iis quantumvis perplexis principum ac populorum conflictibus in quibus solum (si fieri potest) bonum temporale hominum committeretur. Potestatem enim ecclesiasticam à Christo constitutam censent ut omni cujuscumque generis Auctoritati super terram, ubi opus erit, *directè* imperet et omnimodum Humanitati bonum procuret (2). — Et, licèt talis verborum Christi extensio satis gratuita videri possit,

(1) Hinc S. Thomas : « ... Ei ad quem finis ultimi cura pertinet, subditi debent illi ad quos pertinet cura antecedentium finium, et ejus imperio dirigi. » (*Opusc. de Regimine Principum*, l. I, c. XIV). — Unde et Bellarminus : « Finis temporalis subordinatur finì spirituali, ut patet, quia felicitas temporalis non est absolutè ultimus finis et ideò referri debet in felicitatem æternam : constat autem (ex Aristot. l. I, *Ethic.*, c. 1) ita subordinari facultates ut subordinantur fines. » (*Controv. gen.* t. I, *De S. Pontif.* l. V, c. VII, 3).

(2) Ita forsàn S. Thomas (*In II^{um} Sentent.*, Dist. XLIV in fine), et Joannes Sarisberiensis, etc. (quos V. cit. ap. D. Gosselin, p. 740, 744) ; — Alvarez Pelagius (ap. Rocaberti : *Biblioth. pont.* t. III), et Augustin. Triumphus (quos V. cit. ap. Berault Bercastel : *Hist. de l'Egl.*, revue par Henrion, t. V, p. 518 et ss.) ; — item et Sixtus V, qui ideò Bellarmini opus aliquandiu in *Indicem* referri fecit (V. *Etudes des PP. Jésuites*, avril 1870, p. 634 et ss.).

quidam recentiores philosophi rationibus aliunde petitis nec prorsus dedignandis illam opinionem quasi renovare tentarunt, hunc ferè in modum :

« Maximum totius Humanitatis bonum esset si, quemadmodum paulatim familiæ fœderatæ sunt in civitates, et civitates in nationes, ita demum ipsæ nationes sub unâ fœderarentur Auctoritate supremâ (1), cujus esset lites tum nationum inter se (2), tum principum et subditorum in unâquâque natione (3), evocare ad se ac decidere : inde enim plurima bella ac perturbaciones præcaverentur aut comprimerentur. — Imò certè illud tantæ utilitatis esset ut naturaliter *obligatorium* fieret, si ad præsidendum toti *Reipublicæ Christianæ*, ut olim aiebant, aliqua inveniretur Auctoritas cunctis aspectabilis, à studio partium, quantum fieri poterit, aliena, et non faciliè per libidines hominum aut revolutiones summoventi nata. Et talem quidem maximi politici non semel instituere tentarunt, neque quid huc usque potuerunt; nisi interdum, valde precariò et transitoriè, per quosdam principum mediatorum congressus. — Verùm tamen, Deo ipso auc-

(1) Non ideo tamen contendimus, ut quidam utopiarum fabricatores, unquam abrogandam esse omnem nationum distinctionem; nec etiam questionem aggredi intendimus inter politicos hodie agitatam, utrum nempe plures an pauciores expediat existere in mundo distinctas nationes : de fœderatione enim unius cum aliâ, non de absorptione unius in aliam loquimur. — Cfr Bellarmin. : *De Rom. Pont.* l. I, c. ix, n. 69-72.

(2) « Quand il est question de juger si on doit faire la guerre, inquit » Pascal, et tuer tant d'hommes, condamner tant d'Espagnols ou de Français à la mort, c'est un homme seul qui en juge, et encore intéressé; ce » devrait être un tiers indifférent. » (*Pensées* : ed. Frantin, *Faiblesse de l'homme*, XXI; (ed. Rocher) *Pensées diverses*, c. 1, 17. — Cfr et D. Thiers : *Discours du 4 déc. 1867, sur la quest. romaine*, in 1^a parte. — Cui desiderio quasi respondisse videtur Innocentius IV his verè grandiloquis : « Dei » Virtus et Dei Sapientia Dominus Jesus Christus, cujus ineffabili subjecta » sunt omnia majestati, à foundationis initio splendore virtutum suam illustravit Ecclesiam, et sic insignem reddidit singularis privilegio potestatis, » ut, per ejus ministerium, suum justitia consequatur effectum, et sedato » *guerrarum* turbine, mundo possit tranquillitas provenire, etc. » *Epist. archiepiscopo Senon. in convoc. Conc. gen. Lugdun.* I, ap. Mansi, t. XXIII, p. 608.

(3) In hoc speciatim V. Suarez : *Defensio fidei cathol.*, l. VI, ch. iv, n. 17.

tore, una Potestas hujusmodi jam plurimis abhinc sæculis coram nobis adstat, et apud populos multos rerum saltem spiritualium arbitra habetur. — Quidni igitur illa eadem quæ jam à Deo ordinis saltem spiritualis arbitra facta est, ordinis etiam temporalis arbitra, cum consiliariis tantum specialibus (1), ab hominibus agnoscatur, — consentientibus etiam forsitan A catholicis (2) ?... — Prius erat immediatè et expresse è jure divino; posterius erit quasi juris divinis consequentia quædam naturalis quæ à Deo, prævisâ humani generis necessitate et impotentia, intendi ac præordinari debuit in constitutione Primatûs papalis, ut suo tempore evolveretur. Ideoque talis institutio verè poterit haberi, remotè saltem, de jure divino » (Et huc forsitan cfr Is. II, vel Mich. IV) (3).

(1) Cfr. *Votum Synodi patriarchalis Armenorum*, ap. DD. Conrad. Martin : *Collectio documentorum Conc. Vaticani*, p. 105.

(2) V., v. g. ministrum Pitt, cit. ap. *Etudes des PP. Jésuites*, janv. 1873, p. 22.

(3) Hinc Leibnitzius, qui tamen dubitare videtur an res sit de jure divino, et desperare ne unquam fiat possibilis : « Je serais d'avis d'établir un tribunal à Rome même et d'en faire le Pape président comme en effet il » faisait autrefois figure de juge entre les princes chrétiens. Puisqu'il est » permis de faire des romans, pourquoi trouverons-nous mauvaise la fiction » qui nous ramènerait le siècle d'or ? » V. plura Leibnitzii in hoc sensu ap. D. Emery : *Pensées de Leibnitz*, t. II, *Constitution de la Républ. chrétienne*, et artic. sequentes. Ipse cæteroquin Voltaire similiter fatetur : « L'intérêt du genre humain demande un frein qui retienne les souverains » et qui mette à couvert la vie des peuples. Ce frein aurait pu être par une » convention universelle dans la main des Papes. Ces premiers pontifes en » ne se mêlant des querelles temporelles que pour les apaiser, en avertissant les rois et les peuples de leurs devoirs, en reprenant leurs crimes, » en réservant les excommunications pour les grands attentats, auraient tous » jours été regardés comme des images de Dieu sur la terre. » (*Essai sur l'hist. gen.* t. II, c. lx, cit. ap. J. de Maistre : *Du Pape*, l. II, c. ix).

Il autem qui Regum potestatem assecuratam putant eo quòd ipsa se fecerit independentem, ut in articulo 1^o Declarat. a. 1682 habetur, hæc sibi dicta teneant scriptoris cujusdam socialiste, circa illum ipsum articulo 1^{um}, dura sanè et Regibus atque ipsis Pontificibus aspera, sed digna tamen quæ meditentur : — « La portée politique d'un pareil acte était immense. En » élevant les rois au-dessus de toute juridiction ecclésiastique, en débarrassant aux peuples la garantie que leur promettait le droit accordé au Souverain Pontife de surveiller les maîtres temporels de la terre, la déclara-

Conclusio : — Quidquid censeatur de ultimâ hæc theoriâ, ex hucusque expositis hæc colligere est :

1° *Jus declarandi*, prout illud exposuimus, certè ad Potestatem ecclesiasticam de jure divino, imò et naturali, pertinet, ut ab eâ exercetur ubicumque justitiæ interesse ac expedire judicaverit, sive in materiis spiritualibus, sive etiam in temporalibus. Hoc enim rationibus constat manifestissimis, imò et nobis Catholicis de fide tenendum est, utpote certè definitum in Bullâ *Unam sanctam* (1).

» tion de 1682 semblait placer les trônes dans une région inaccessible aux orages. Louis XIV y fut trompé ; il crut avoir donné à la monarchie absolue des bases éternelles en la dégageant du plus respecté des contrats. Mais en cela son erreur fut profonde, et fait pitié. Le pouvoir absolu, dans le vrai sens du mot, est chimérique, il est impossible. Il n'y a jamais eu, grâce au ciel, et il n'y aura jamais de despotisme irresponsable. A quelque degré de violence que la tyrannie s'empare, le droit de contrôle existe toujours contre elle, ici sous une forme, là sous une autre. La déclaration de 1682 ne changeait rien à la nécessité de ce droit de contrôle. Donc elle ne faisait que le déplacer, en l'enlevant au Pape : et elle le déplaçait pour le transporter au Parlement d'abord, puis à la multitude.

» Que les Papes n'aient pas fait tourner bien souvent à l'avantage des peuples le haut patronage qu'immortalisa le génie de Grégoire VII, c'est trop certain... (?) Mais c'est précisément la folie de Louis XIV et de ses ministres de ne pas avoir compris que la compétence des Papes en matière de souveraineté protégeait les rois, loin de leur être contraire... La suite le prouva bien. Le moment vint, en France, où la nation s'aperçut que l'indépendance des rois, c'était la servitude des peuples. La nation se leva indignée, à bout de souffrances, demandant justice. Mais, les juges de la royauté manquant, la nation se fit juge elle-même, et l'excommunication fut remplacée par un arrêt de mort. » (Louis Blanc, *Hist. de la Révol.*, t. I, p. 252, cit. ap. D. Nicolas : *Du Protestantisme*, etc. p. 188). — Cfr et ipsum Bossuet : *Défense de l'Hist. des Variations*, n. 55.

(1) Hanc celebrem Bonifacii VIII Bullam V. in Corp. Juris canon., *Extrav. comm.*, l. I, tit. viii, *De majorit. et obed.*, c. i. — Illius porro definitio 1° non ad materias merè spirituales rationabiliter restringi potest (uti vellet Bossuet : *Def. Déclar.*, l. III, c. 24, itemque Fessler : *La vraie et la fausse Infaill.* p. 95-100), quum in toto Bullæ decursu de rebus temporalibus agatur ; — et tamen 2° de auctoritate in his *declarativâ* sufficienter explicatur, maximè quum Bonifacius VIII, paulò antea, hanc ipse

Atque hinc indubiè admittendum est Ecclesiæ, è jure divino, competere *aliquam* in temporalibus potestatem tum *indirectam*, tum etiam *directam* (sensu suprâ exposito), quatenus saltem utraque illa potestas in jure *declarandi* consistit : ubi autem ulteriùs protendit, jam non itidem affirmanter pronuntiandum censemus ; etenim

2° *Jus decidendi arbitrariè in incertis* magis disputationi obnoxium videtur, nec certè, apud nos Catholicos, de fide necessariâ tenendum ; siquidem ii qui illud negârunt aut ad jus humanum tantummodò retulerunt (1), nunquam ullis ideò perstricti sunt censuris. — Et quidem tale jus, ubi ratione boni spiritualis *indirectè* exercendum vindicatur, gravissimis rationibus suadetur : ubi autem *directè* ratione boni temporalis, non adeò verisimile apparet, licèt adhuc maxima sibi devinverit ingenia, et societatem humanam ad *ideale* promovere natum videatur. (2) Utrùm verò illa societatis humanæ

explicationem aperuerit, quòd « Rex nempe, seu quicumque alter Fidelis » sit Pontifici subjectus, *ratione peccati*. » (Ap. D. Gosselin : *Pouvoir du Pape*, p. 573 ; quem etiam in totum hoc legere est pp. 569-573, sicut et Fénelon : *De S. Pontificis auctor.*, c. xvii). — Cfr etiam Innoc. III. *Epist. Novit.*, l. II *Decretal.* tit. I, c. xiii ; vel ap. Migne *Patr. lat.* t. CCXV, p. 326.

(1) Ita, post Fenelonium, D. Gosselin, in opere modò indic. : *Pouvoir du Pape au moyen-âge*. — Distinctio quâ præcipuè utitur in hoc opere cl. auctor (p. 338), non reapse à nostrâ penitus differt, licèt ab eo paulò dissentiamus circa quedam puncta, videlicet — 1 — circa *vim* potestatis *declarativæ* seu, ut ait ille, *directivæ*, à quâ nimirum media coactionis amovere videtur (p. 513) ; item — 2 — circa *extensionem* hujusce potestatis quæ nempe, juxta illum, nunquam *ex se* usque ad regum exauctorationem protendere potuit, sed tantum ex quasi-contractu quodam olim per jus publicum inducto simul cum potestate illâ quam vocat *jurisdictionis in temporalibus* propriè dictæ. Quod porro apud illum provenire videtur ex opinione de quâ nos suprâ p. 258 in *notâ*. Qui enim, cum omnibus generatim Mediæ Ævi doctoribus, admittunt talem exauctorationem vel è solo jure naturali aut divino accidere posse, jam facta præcipua Pontificum illius Ævi è potestate simpliciter *declarativâ* plerumque facillimè explicabunt, neque ad ampliorem recurrent potestatem (divinæ an, ut ille vult, humani tantum juris, contròv.) nisi pro dubiis solvendis aut specialibus quibusdam dispositionibus determinandis, sicuti videre est v. g. adhuc in Concilio Tridentino, Sess. XXV, c. xix, contra duellantes.

(2) Cfr ipsum Bossuet : *Def. Declarat.*, l. I, s. II, c. xxxv.

unitas *idealis* unquam fieri poterit *realis*, et quid in futuris sæculis emersurum sit è tot ac tantis, quibus assistimus, rerum vicissitudinibus ac commotionibus certè majoribus quàm quæ olim apud nos, post divisionem feodalem, unitati nationali viam pararunt; — nos nescimus, Deus scit (1).

CAPUT QUARTUM.

DE EFFICACIA AUCTORITATIS IN ECCLESIA CHRISTI.

E consilio Dei in Scripturis et Traditione declarato, assistentia Christi in Ecclesiâ efficaciam habitura est non modò *negativam*, nempe, ut Ecclesia ab errore præservetur, — sed etiam *positivam*, ut illa scilicet scopum suum, qui est diffusio veritatis in mundo et hominum sanctificatio, eminenter semper obtineat. Et, quia duplex inde efflorescere debet nota ad veram Ecclesiam oculis præsertim extraneorum ostendendam, *Catholicitas* nimirum et *Sanctitas*, duplex jam nunc instituetur articulus, videlicet, 1^{us} de præeminente Ecclesiæ extensione per mundum, 2^{us} de præeminente etiam ejusdem sanctitate.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PRÆEMINENTI EXTENSIONE ECCLESIAE,

71. — Status quæstionis. — 72. PROPOSITIO : *Vera Christi Ecclesia super singulas christiani nominis societates semper eminebit diffusionem majori, imò et aliquatenus universali.* — 73 — Observationes : Catholicitas hæc debet esse *moralis, exterior, relativa, progressiva, perpetua.* — ** 74 — COROLLARIUM circa majoris Fidelium numeri *indelectibilitatem.* — ** — 75 — OBSERVATIONES circa Ecclesiam tum *in se, tum relatè ad genus humanum.*

71. — **Status quæstionis :** — Auctoritas Ecclesiæ, non, sicut olim auctoritas Synagogæ, pro uno tantum

(1) Huc cfr D. L. Veuillot : *Univers*, 9 juil. 1868, cit. ap. *Etudes des P. Jésuites*, dec. 1868, p. 864.

populo instituta est, sed pro universis, ut satis patet ex huc usque allatis; ideoque non Christi doctrina tantum sed et ejus Ecclesia, *de jure, universalis* esse debet seu *catholica* (καθ'ολογ) (1).

Quousque autem, *de facto*, Ecclesia Christi hanc suam destinationem impletura sit; nunc expendendum est.

Etenim nos omnes qui proprio nomine Catholici dicimur, unanimiter generatim tenemus veram Christi Ecclesiam semper inter cæteras Christiani nominis communionem præeminentem fore diffusionem majori, imò et aliquatenus universali, variis è rationibus infra exponendis. — Id porrò negarunt quidem plùs minùsve apertè multi olim hæretici vel schismatici *separatistæ*, id est, ut explicabitur in 2^{da} parte Tractatùs, qui sibi *separatim* veræ Ecclesiæ nomen vindicabant, sicuti v. g. Donatistæ (V. S. August. passim). Ex quo autem omnes ferè Hæretici vel Schismatici *syncretistæ* facti sunt, id est nempe, sese veram Christi Ecclesiam efformare contendunt non jam separatim ab aliis communionibus Christianis, sed unà cum pluribus paucioribus earum ac præsertim cum Ecclesiâ romanâ, ut ipsâ hujus catholicitate suæ parvitati additâ, quasi communi jam prærogativâ, contendantur, illa quæstio multò minùs agitata est. — De quâ nihilo-minus sit

72. — **Propositio :** *Vera Christi Ecclesia super singulas christiani nominis societates semper eminebit diffusionem majori, imò et aliquatenus universali.*

Illud enim admittendum est quod 1^o in Prophetiis præsignificatur et in Evangelio innuitur; 2^o in totâ Traditione evidenter supponitur, et 3^o è ratione theologicâ convenientissimum probatur. — Atqui propositio nostra

1^o in Prophetiis præsignificatur : Sic, v. g., ut paucas

(1) V. Suarez : *Defensio fidei cathol.*, l. I, c. xvi, n. 4.